

*Econtra est felix, genium qui consecrat omnes
Musarum studiis, docileis qui destinat annos
Ausibus ingenuis, junctis conatibus amplis:
Scilicet is tandem didicisse fideliter arteis
Cognoscet quid sit, vita quem praebeat usum,
Quò valeat, secumq; ferat quae commoda magna.
His quoque nominibus felix censendus, Amice
Es mihi, mi Biescki, schola cui Fyona celebris
Prima elementa dedit, vitutis & artis honore.
Namq; his te socias studiorum amore coruscam
Quippe probare student mentem mentisq; laborem
Assiduum doctis; tuus hinc honor hinc tua surget
Gloria, perge, tuis deerunt vix praemia Musis.*

*Amico & Collegae suo ita
gratulari voluit.*

*Joannes Nicolai F.
Naxschowio-Danus*

Quem pietas probitas amplarum incendia laudum
Doctorumq; lues & virtus nescia mortis
Ignibus atrectant blandis: hunc impete quanto
Per clausos doctrinae obices per grandia rerum
Distrahit ingenii fervens & nobilis ardor,
En prodi testis Biescki quem pectoris igne hoc
Incensi scintillae urgent & flamma perurit.
Egregios Patriae calidum te format in usus
Mens cognata polo, secretis abdita sacris.
Tanta secuturae spondens tibi omnia famae
Ingenii foecunda refers orisq; disertis
Praemia: quae post te numerabit Leucoris alma
Sin plebeja tuas nescit inscitia laudes
Sat fuerit doctos te digna brabea dedisse.

*Ita egregium conatum tuum, Amice jucundissi-
me, certissimum, brevi secuturae gloriae omen
tibi augurari volui.*

Jacob. Fab.

Coll. diss. A. 215, misc. 31